

182

4956
c. 2

Dissertatio Physiologica
DE
**PERSPIRATIONE
INSENSIBILI,**

Quam,
Divinis Auspiciis,
Conf. Illustr. Facult. Med. Upsal.

PRÆSIDE
Viro Nobilissimo atque Generosissimo
**D:NO DOCT. CAROLO
à LINNÉ,**

S. R. M. ARCHIATR. Eq. AUS. DE STELLA POL. MED. ET BOTAN.
PROF. R. O. ACAD. PARIS. PETROPOL. IMPER. N C. HOLM. UPS. LOND.
ANGL. FLOR. BEROL. MONSP. TOLOS. BERN. EDINB. ROTER. NIDROS.
CELL. PHILADELPH. ZELAND. MEMBRO. ET FACULT. EDINB. HONOR.

PRO GRADU DOCTORIS,
Defendet Auctor
NICOLAUS AVELLAN, Tavast, Fennio.
Pbil. Mag.

In Aud. Carol. Maj. D~~XXV~~ Nov. 1775.
H. A. & P. M. S.

UPSALIÆ,
Apud JOH. EDMAN, Regiæ Acad. Typogr.

PRÆCEPTORI NUNQUAM SATIS
ÆSTIMANDO DILAUDANDOQUE

DOM. DOCT. JOHANNI
HAARTMAN,

ASSESS. ATQUE AD REG. ACAD. ABOF. MED. PROFESS.
REG. ET ORDIN. ACAD. SC. R. S. MEMBRO.

*In tesseram animi gratissimi atque venerabundi,
nec intermorituri, hoc opusculum,*

DAT. DICAT. DEDICAT.

VXX

cultor humillimus.
NICOLAUS AVELLAN.



§. I.

Anatura constitutum est, ut si sanitas constare debat, excretiones in homine adulto pondere sint aequales ingestionibus. Hinc multum omnino refert, ad morbos præcavendos & sanitatem indagandam, respicere ingesta & excreta num proportionem inter se habuerint: eadem si non servatur adversæ valetudinis primordia haud procul erunt. Harum perspiratio insensibilis, cùm reliquas omnes excretiones exsuperet, corpus a corruptione quam maxime vindicat.

Hanc excretionem Medici vetustissimi sibi perspectam habuerunt. Magnus ille Medicinæ Dictator, HIPPOCRATES, totum corpus *exspirans* & *inspirans* esse commemoravit. *Epid. Libr. VI. Sect. VI.* GALENUS itidem in *Libr. De usu partium cap. V.* distinctius docet. *Sicuti per determinata in cute oscula excernunt quidem extrorsum omne, quodcumque vaporosum & fumosum redundans est.* Primum tamen omnium, sagacissimus observator SANCTORIUS a Sanctorio Italus, nobis in Statica sua Medicina experimentis, modum & copiam insensibilis perspiracionis, ejusque varia & augmenta & decrementa, ex aere, a cibo & potu, somno & vigilia, exercitatione & quiete, venere & animi affectibus, pro mutatis circumstantiis demonstravit. Inde in gloriam ejus hodie perspiratio insensibilibus Sanctorianis audit. Post SANCTORIUM plures Viri Celeb. ut KEILIUS in Anglia, DODARTIUS & MORIN Parisiis, DE GORTER in Belgio, ROBINSON in Hibernia, LININGS in Carolina, & nuper iterum HOME in Anglia, de eadem experimenta instituerunt.

§. II.

Materia perspirabilis secernitur ex arteriis rubris, quæ absque ullo medio folliculo, ut Anatome demonstrat, quo magis versus exteriorem cutis superficiem excurrunt, eo semper minores fiunt, ac demum arteriolas minimas exhalantes formant, quæ dein, in tota cutis superficie, per oscula minima exhalant, humorem tenuem, aquosum, odoratum; naturaliter invisibilis, frigore tamen condensatus, specie fumi cernitur, vel etiam aucto humorum versus cutim ruentium impetu, copia majori secretus, vel relaxatione ac dilatatione præternaturali vasculorum, sub forma visibili appetet, sudorque appellatur. Per errorem igitur a Cl. viris glandulæ peculiares, pro excretione sudoris proponuntur.

§. III.

Copiam fugacis materiæ, quæ per poros cutaneos excernitur, maximam esse, experimenta Cl. Virorum nos edocent. Ex observationibus SANCTORII constat, proportionem insensibilis perspirationis esse ad urinam & alvum, ut 5 ad 3. Experimenta sua sequenti modo instituit: per tres annos ponderavit in statere proprium corpus, ponderavit dein cibum & potum, quem intra 24 horas sumserat, ponderavit etiam excrementsa alvi & urinæ ejusdem temporis spatio reddita; horis 24 prætentis, iterum se ponderavit, & invenit, corporis gravitate eadem, urinæ & alvi excrementorum gravitatem multo minorem esse gravitati cibi & potus assumti, cunctis sic paratis concludere ipsi licuit, pondus quod ab excretis cum ingestis comparatis defuit, invisibiliter e corpore decessisse, calculique jam allatae fuisse. Experimentorum ab Ill. Viris institutorum in diversis regionibus, magnam differentiam, ut, quando in calidissimis regionibus unc. 60 superat, in frigidis tamen intra unc. 50, 40 etiam 30 subsistit,

sistit, climati, anni tempori, tempestati, temperamento hominum, vieti, vitæque regimini, tribuendam existimamus. Licet jam diversitas sit magna a variis circumstantiis, tamen in calidioribus regionibus, & apud nos tempore æstivo, omnes reliquas excretiones notabili excessu superat. Quodque ut nemini mirabile obveniat, perspirabilis excretionis copiam tantam esse, perpendet latissimam superficiem cutis, superficiem aëream pulmonum, oris, narium & numerum vasculorum exhalantium hic fere infinitum, quæ spatio unius grani fabuli, si Leuvenhoeckio fides habenda, ad 125000 hiant.

§. IV.

Ordo jam exigit, ut de causis, perspirationem insensibilem promoventibus, & impedientibus, pauca commemoremus. Optime peragitur, si vasa visceraque justo robore flexilitate atque elasticitate gaudent. Ab ingestis perspiratio varias subit mutationes. Observat Sanctarius Sept. III. hominem cibo refertum, absoluta concoctione multo plus quam jejunum, perspirare; hoc idem unusquisque aliquot horis a pastu, dum chylus cum sanguine circumvehi incipit, in se ipso observare potest. Sanctarius itidem refert, perspirationem, una nocte, tertia parte minorem fuisse hominis non coenantis, quam coenantis. Quemadmodum cibus potusque in genere perspirationem mutant, ita diversæ eorum qualitates, varias mutationes inferunt. Cibi levioris digestionis, perspirationem optime promovent; sic caro vervecina, quæ mollior teneriorque ceteris carnibus est, plus illis perspirat; caro porcina e contrario, cum difficultissimæ sit concoctionis, perspirationem diminuit, carnes fumo induratae idem faciunt, omnium maxime autem Lardum. Cibi calefacentes, aromata cibis addita, vi stimulante digestionem promovent, humores validius excitant, perspi-

rationem augent. Per multa hujusmodi carminativa & aromatica, perspirationem promoventia, in officinis nostris pharmaceuticis servantur atque præparantur; horum inter Alia foetida, atque moschus optime vim suam exercent. Potulentorum omnes potus Spirituosi, calidi Aquosi Theæ, Coffeæ perspirationem promovent & vim cordis augendo, & materiam perspirabilem suppeditando, & vascula relaxando. Potulenterum reliqui, quo minus in vias urinarias agunt, eo magis perspirationem promovent. Aëris qualitates cum diversissimæ sint, non potest non esse, quin tantæ differentiæ, uti nos sub ea versantes varie afficiunt, sic etiam in perspiratione alteranda ex omnibus maximam vim habeant. Summus Medicinæ Parens Hipp. in Lib. de aëre & aquis &c. non solum morbos diversos, sed & temperamenta, imo mores hominum, ab aëris varietate pendere statuit. GALENUS, fidus ejus commentator, cum illo idem facit. In genere aër calidus & siccus, frigidus & siccus, gravis, perspirationem promovent; aër debita gravitate & elasticitate præditus, præterquam quod faciliter suscipit & aufert vapores exhalantes, etiam pressura sua, quæ in homine mediocris statutæ censetur esse libratum 32000, sanguinem versus cor urget, unde velocitas sanguinis augetur, & ceteris partibus perspiratio insensibilis, quam consequitur corporis animique vigor & alacritas. Contrarios contra effectus infert aër, harum qualitatum expers, calidus & humidus, æstuosa & nimis humida atmosphæra, sanitatem maxime pericitamur, imprimis vero aër frigidus & humidus, uti pluviosa atque imbricosa tempestas, transpirationi officit. SANCTORIUS hoc idem innuit Sezt. II. Aph. 14. Ab æquinoctio autumnali ad solstitium byemale, qualibet die minus libram circiter perspiramus; inde usque ad æquinoctium vernale incipimus liberius perspirare. Certe nullo non tempore

pore anni, morbi invadunt homines, autumno autem quam plurimi, quo transpiratio quam maxime corruptitur: *Satuberrimum est ver, proxime deinde ab hoc biems, periculoshor aestas, autumnus longe pericolosissimus.* *Celsus Libr. II. Cap. I.* Exercitio corporis perspiratio optime promovetur; ex alterno enim muscularum motu sanguis versus cor fortius propellitur, siveque cordis vis & velocitas augetur, calorque major oritur, quo vascula cutanea relaxantur & materiae perspirabilis excretio fit major. Imo adeo hinc perspiratio aucta est, ut intra horam triplo, subinde decuplo plus, quam in quiete, perspirari observatum est. Notat *Sanciorius* *Sect. V. Apb. II.* tempore somni perspirationem duplo majorem esse, quam vigiliarum, imo majorem quam in exercitio violento *Apb. VI.* Inde similiter corporis levitatem atque agilitatem post somnum placidum deduxit, & contra post irquietum. Hic tamen observandum rationem phœnomeni non in somno quaerendam esse, quin potius censeenda sit effectus caloris atque temporis leti a teſto corpore. Levitas a somno placido cum agilitate corporis apparens est, & pendet a vi- rium refectione sub somno. Hæc eadem *Sanciorius* *Apb. XII.* affirmare videtur cum dicit *Qui domiunt pedibus & eoxis detectis, noctis spatio libra perspirabilis exhalare prohibetur.* itidem. *Apb. 50.* affirmat per nimium somnum transpirationem minui. Licet corpus post somnum inquietum & turbatum sentiatur gravius & minus agile, ad statuam tamen levius esse observat *Celeb. DE GORTER.* De reliquo si somni tempore tantum perspiraret corpus, certe nec pinquesceret, nec obesitate augeretur, ut fit, cum contra per vigilias gracilescit. Hinc omnino concludere liquet, perspirationem reapse, somni tempore, minorem esse, quam vigiliarum. Animi Affectus quemadmodum validissime functiones corporis movent, ita perspirationem etiam varie mutant: ira, lætitia, circu-

lationem augment, ergo perspirationem; mœror & terror contrarios inducunt effectus. Hinc SANCTORIUS *Sect. VII. Apb. I.* affirmat, iram corpora facere leviora, timorem vero graviora. *Apb. VI.* Consolatio animi liberam servat perspirationem. Idem eleganter refert *Sect. VI.* perspirationem a rara & moderata venere augeri corpusque levius reddi.

Præterea quod causæ jam expositæ perspirationem optime juvent, ulterius eandem promovent mundatio totius cutis, quæ optime vaporibus, balneis, lotionibus calidis, frictionibus peragitur, vim suam simul relaxatione omnium vasculorum & cutaneorum & subcutaneorum exhibent. Frictiones augendo calorem loci, humores impellunt, attenuant, obstructa solvunt. Causis perspirationem promoventibus sic brevissime allatis, jam aliaæ eam diminuentes sujungendæ forent, sed præterquam quod cuique concludere liceat recensitis contraria vim inferre contrariam, earum hinc & illinc mentionem intermisimus, adeo ut eas jam commemorare omittamus; verbo tamen monere juvat, perspirationem minui, quo magis reliquæ excretiones augmentur, attamen observando, purgantia perspirationem simul promovere, si suppressa est a corrupta materia in primis viis, ut monet *De Gorter.*

§. V.

Quemadmodum perspiratione optime procedente, corpus alacre, agilissimum, vegetumque perspicitur; ita perspiratione, vel suppressa vel diminuta, grave, torpidum, laßlum, sentitur, cum sensum hebetudine; si in parte quadam corporis seorsum perspiratio minuitur, ea pars ceteris gravior & hebetior observatur. Cum igitur transpirationem suppressam semper subsequatur insolita gravitas, torpor, laſtitudo, corporis animique languor, debilitas & inquietudo, hæcque symptomata fere omnes mor-

morbos præcedat, omni cum probabilitate concludere oportet, perspirationem suppressam plurimorum morborum causam primariam esse. Hipp. lassitudines spontaneas pro signo morbi ingruentis habuit. *Sanctorius* refert *Sect. I. Apb. XII.* Si ex staticis deprehendatur impeditam esse perspirationem diebus sequentibus succedit plenior perspiratio, vel aliqua sensibilis evacuatio plenior, vel Cachexiæ vestigium vel Febris. Primæ igitur sequelæ perspirationis suppressæ erunt alvi vel urinæ excretio aucta; sin minus, corruptio humorum & febris oritur: neque hoc mirum, tum ob universam massam humorum præter naturam auëtam, quam subsequitur rapidior sanguinis motus, validiorque attritus solida & fluida inter, nam ut sunt vasorum capacitates inter se, per quæ eadem fluidi quantitas, eodem temporis spatio moveri debet; sic inversa ratione fluidi velocitas se habet, aucta enim quantitate fluidi velocitas augetur; tum in primis ob retentionem humoris excrementitii, qui nisi inutilis atque noxius non potest non esse. Materia hæc perspirabilis retenta, remora magis magisque acris redditur, futuramque putredinem prænuntiat. *Sanct. Sect. I. Apb. 43.* Ad morbi gravitatem a suppressa perspiratione, multum refert quantitas materiæ suppressæ, magis vero qualitas; differunt hæc, ratione ætatis, vitæ, regiminis, anni, temporis, tempestatum &c. sic observatur, perspirationis suppressæ effectus, æstate autumnoque, longe periculosiores esse reliquorum anni temporum; diuturnus enim fervor ætatis, dissipatis liquidissimis corporis, adeo usque torret humores, ut acerrimæ putridæque fiant. *Sanctorius Sect. II. Apb. 35.* eleganter hæc proponit: *Adiaphrenitia æstate malignam febrem, bieme vix minimam alterationem efficerre potest: corpora enim acriori perspirabili æstate sunt referta, quam bieme.* Hinc diversissimi jam morbi perspirationis effectus sunt, secundum cujusque singularem

corporis dispositionem, qualitatem aëris, annique temporis, ut sunt morbi varii exanthematici, erysipelas, febres catarrhales, intermittentes, biliosæ, putridæ malignæ; *Sanctorius Sect. I. Aph. 46.* Morbi Phlogistici vel Inflammatorii varii, ut pleuritis, peripneumonia; Dolerosi: gravedo, odontalgia, angina, rheumatismus, arthritus. Morbi Suffocatorii: raucedo, tussis. Evacuatorii: epiphora, coryza, cholera, diarrhoea, dysenteria, diabetes. Morbi denique Deformes; cachexia, hydrops.

§. VI.

Cum vero, ut monuimus, perspiratio, præ ceteris a diversa aëris qualitate varie afficitur, inde abs re fore non dubitaverim, hic dyscrasias tam fluidorum, quam solidorum a diversa aëris constitutione orientes proferre, unde perspirationis effectus clarius eluceant, & morbi varii inde nascentes; quales sunt tempestates, tales etiam sunt morborum constitutiones notat *Hipp. in Libr. de humoribus Sect. 7.* Tempestas *sicca* & *frigida*, fibras roborat, vasa corporis coarctat, fortiora magisque elastica reddit, major frictio ac calor oriuntur, velocitas liquidorum acceleratur, secretiones fluidiores promovenuntur; durante ejusmodi tempestate humoribus lento inducitur, fiunt densi, glutinosi & ad vasa permeanda minus idonei; hinc morbi, qui a crasso viscido ac inflammatorio sanguine pendent, oriuntur e. g. pleuritis, peripneumonia, anginæ, rheumatismi. Regnante hac aëris constitutione, convenient diluentia, emollientia, potiones tepidæ, vietus mollis & relaxans. Neque hac tempestas omnibus æque noxia est, quin nonnullis salubris, sic laxos atque pituitosos firmiores vegetiores que reddit. Aëris *calidus* & *siccus*, fere eosdem infert effectus, præterquam quod calore humida fortius dissipantur, & quæ restant, longe acriores fiunt putredinemque

que subeunt, unde morbi biliosi, colica biliosa, cholera, dysenteria, febres putridæ, malignæ generantur. Aër frigidus & humidus, poros cutaneos constringit, vasa occludit, quo secretiones & excretiones impediuntur, serosa colluvies generatur, tusles, angina serosa, febres cataarrhales, intermittentes, homines corripiunt; si humores retenti non, aut per urinam aut per alvum, exterminentur. Hac tempestate durante, convenient cardiaca & omnia perspirationem promotura ne inhibeat. Aër denique calidus & humidus maxime, si aestuofus est, sanitati officit, vasa relaxantur, secretiones viresque deficiunt, hinc estate langvidi minusque agiles sumus, fluida & tere omnino solida resolvuntur, diu manente ejusmodi tempestate, febribus putridis malignissimis obnoxii reddimur. Occurritur huic constitutioni aëris diæta sicca & adstringente, & omnibus quæ fibras firmant putredinemque arcent.

Sic percurrento cuncta, quæ in perspirationem a-
gunt, morbi inde orientes optime indagari possent;
proposita vero brevitas in iis diutius
commorari vetat.



